PJ
5441
.L3

THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

Class PJ5441
Book .L3

Zu der

öffentlichen Prüfung

der

Zöglinge

des

Berlinischen Gymnasiums

zum grauen Kloster,

welche

Sonnabend den 3. April 1841, Vormittags von 8 bis 12 Uhr mit den oberen Klassen

von

Unter-Tertia bis Prima,

und

Nachmittags von $2\frac{1}{2}$ bis 6 Uhr mit den unteren Klassen

von

Sexta bis Ober-Quarta

im

grofsen Hörsaale veranstaltet werden soll,

ladet

die hohen und höchsten Behörden

so wie

alle Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst ein

der Director

August Ferdinand Ribbeck,

Doctor der Theologie, Ritter des rothen Adler-Ordens vierter Klasse.

Berlin, 1841.

Gedruckt in der akademischen Buchdruckerei.

564
3265

DE

DIALECTORUM LINGUAE SYRIACAE RELIQUIIS

SCRIPSIT

DR. F. LARSOW

SOCIETATIS ASIATICAE PARISIENSIS SODALIS.

FORMIS EXPRESSUM ACADEMIAE REGIAE BEROLINENSIS.

MDCCCXLI.

PJ5441
.L3

Corrigenda.

p. 15. lin. 13. *del.* punctum ante אשׁ״.

p. 16. lin. 7. *add.* ܐܡܚܪܐ *dialecto Nabathaea est: domus.*

p. 27. lin. 16. leg. [*ipsorum*] *calceorum,* sive *soleae, quae* etc.

61500

W

WEBER COLLECTION.

h. r. — Ap. 18, 11

Quae nobis servata sunt dialectorum linguae Syriacae fragmenta, ea non in libris Syriace scriptis, qui hodieque impressi sunt, quippe qui plerumque recentioris aetatis atque varii argumenti dialecticas diversitates nusquam offerant, sed in libris manu scriptis dispersa inveniuntur, praecipue in glossariis illis *Bar Alii* et *Bar Bahluli* celebratissimis. Paucae quidem ex his glossariis depromtae et ad dialectos pertinentes glossae exstant iam in *Castelli* et *I. D. Michaelis* Lexicis Syriacis, ita tamen illae plerumque corruptae, ut vel novissimi scriptores qui res grammaticas tractarunt, veluti Ill. *Hoffmannus,* eas prorsus praetermitterent. Quibus igitur in eruendis dialectorum vestigiis usus sim fontibus, non possum equidem silentio transire. Primum contuli *Codicem Gothanum* glossarii *Bar Aliani,* bonae illum omnino notae, praeterea et *Apographon Gottingense* (¹) sive *Leidense* (²) et *Lexicon Adlerianum MS.*, e *Bar Bahluli* aliorumque lexicis, quae *manu scripta in bibliothecis Romanis* asservantur, congestum.

Hisce ut uterer libris, contigit mihi praeceptoris dilectissimi *Gesenii,* Viri summe reverendi, comitate praeclara, qui eos, ut quae essent e re mea transcriberem, mihi benevole commodavit. Pro quo eximio officio Viro de me meritissimo non possum hoc loco, quin gratias maximas agam. Neque mihi hic praetereunda est *Bernstenii,* Viri Illustrissimi, professoris Vratislaviensis, erga me humanitas, qui petenti, ut nonnullas *Bar Aliani Cd. Gothani* glossas cum eis, quae in *Bar Bahluli Codicibus Oxonii* ab ipso summa cum cura descriptis invenirentur, conferret, has ipsas, sicut in *Bar Bahluli* Cdd. exaratae sunt, benigne mecum communicavit.

Quod ad indolem attinet horum glossariorum, id iam *Ill. Gesenius* in

---

(¹) Vid. *Hoffm.* gramm. Syr. p. 32. not. 8.

(²) E Codice *Boreliano*, Amstelodami olim asservato iamque perdito, descriptum illud est a *Iosepho Scaligero* 12 Calend. Decemb. Juliani a. 1605, constat 184 fol. et desinit in littera Nun. Cfr. *Iosephi Scaligeri* epist. p. 312. 647. ed. Francof. 1628. *Hamak.* Miscell. Phoen. p. 239.

commentatione summopere laudanda ,,*de Bar Alio et Bar Bahlulo, lexicographis syro-arabicis ineditis*" praeclare exposuit. Quantum autem hi syriaci libri e Graecorum glossariis pependerint, hic locus est commemorandi, ea potissimum de causa, quod in glossariis Graecis, v. c. in illo *Hesychii*, sicut in his nostris Syriacis factum videmus, sola fere dialectorum commemoratio inest. Et in *Bar Alii* opus, quamvis ipse in praefatione nominet *Lexicon*, quod est documento, illa aetate (saec. p. Ch. nono) nomen λεξικόν Graecis libris huius generis iam inditum fuisse, ([1]) tamen magis quadrat nomen *Glossarii.* Nempe *glossas*, λέξεις priscarum et ab usu abhorrentium vocum atque locutionum explicationes cum Syriacarum, tum *Graecarum* et peregrinarum continet, κατὰ στοιχεῖον (ערוך) dispositas, curatque in hisce ordinandis auctor, quod idem Graeci fecerunt, primam et secundam litteram, similiterque atque illi initio singularum litterarum superscriptas exhibet precandi formulas, ut *scribimus ope Dei — ope Jesu — Messiae salvatoris nostri litteram Dolath* etc., quocum conferre licet illud in *Photii Lexico* litterarum seriei praemissum Ἀρχὴ σὺν Θεῷ λ̄ στοιχείου. Quibus quidem *Graecis* glossariis usus sit auctor noster, ex exemplis iam mihi afferendis nonnihil apparebit.

Hesych. ed. Albert.

Ἔτνος. ἐρεγμός. ἕψημα ἀθαρῶδες καὶ εἶδος ὀσπρίου.

Bar Ali Cd. Goth.

ܗܢܝܘܣ ܐܘܟܝܠ ܕܝܣܩܐ الهريسة

i. e. ἔτνος *idem significat quod* ܕܝܣܩܐ — *Spissi pulmenti* (e leguminibus parati) *species.* Alterum illud vocabulum male exaratum exstat in *Cd. Goth.* et *Apographo Gottingensi* ܗܝܢܘܣ litteris Nun et Iud ut saepissime confusis, et alterum ܕܝܣܩܐ (chald. דִּיסְקָא vid. Buxt. s. v.) falso scriptum in *Michaelis Lexic.* p. 206. ܕܝܣܩܐ. De هريسة vocabulo (cfr. עֲרִיסָה in *Gesen.* Lexic. ערס = هرس) exposuit *de Sacyus* ad *Abdallat.* p. 307 sq. Vides igitur in his quam apte Graeca illa ἐρεγμός et ἕψημα ἀθαρῶδες auctor noster explicaverit.

Αἴτνη δὲ, πῦρ ὡσεὶ ποταμὸς χεόμενον ἐν Σικελίᾳ.

ܐܛܢܐ (l. ܐܝܛܢܐ) ܚܣܠܐ ܥܡܝܩܐ ܐܝܬܝܗ ܐܝܟ ܢܗܪܐ ܕܢܘܪܐ ܘܫܚܠܦܢ ܡܡܠܠܬܐ ܐܝܟ ܠܡܠܦܢܐ
ܕܠܡܢܗ:

Aetna fovea profunda est sicut fluvius igneus et variae sunt de illa virorum doctorum sententiae.

([1]) Cfr. *Osann.* Philemonis Grammatici quae supersunt. Prolegom. p. XIX.

Quantopere illa interpretatio collaudata fuerit, apparet ex eo, quod ad verbum in textum recepta est apud *Tychs.* Element. Syr. p. 61.

Caeterum illud vocabulum *Aetna* etiam ab Arabibus videtur usurpatum esse, leniter quidem immutatum أُطْمَة vid. *Hamak.* ap. *Weyers.* Ibn Khac. p. 183 sq. Quemque montem ignivomum eo nomine nuncupabant atque adeo numerum pluralem formabant, quem vocis vis iam appellativa non respuebat. Verum vocabulum illud utpote antiquius nonnisi in terra orientali, بُرْكَان autem quippe recentius, ex *Volcano* ortum, tantummodo in occidentali usurpabatur. Minus recte igitur *Hamakerum* أطمة cum ἀτμή, *vapor*, contendisse arbitror. Quemadmodum enim omnino Arabes Graeca ac potissimum personarum nomina corruperint, tum impedita ipsis nominum pronuntiatione, tum tenui Graecae historiae litterarumque cognitione inducti, id licet videre in *Abulfed.* hist. anteisl. p. 156. coll. adn. ad p. 58, ubi illa, *Ill. Fleischero* teste, vel in optimis libris MSS. perquam depravata comparent. Restituenda *fortasse* sunt ita: l. 3 leg. زينون Ζήνων (ὁ ἐριστικός). l. 4 leg. ثامسطيوس *Themistius.* l. 5 leg. ميطن etsi graece Μέτων per ε scribitur. l. 6 leg. اقطيمن *Euctemon*, cfr. *Abulpharag.* hist. dyn. p. 89. l. 7 leg. دورطس - دوروطيوس *Dorotheus*, Mathematicus ille Sidonius. — At vero illud Arabibus frequentatum ارسطو non exstitit ex corruptela, sed potius compendiosum scribendi genus est, quod Syrorum scriptores in graecis MSS. repertum (ΑΡΙΣΤΟ, vid. *Bast.* comment. palaeogr. p. 798 sq.) servabant atque Arabibus tradebant.

Suid. v. Κίδαρις. περίθεμα κεφαλῆς ἢ ἐκ τῆς τριχὸς ὕφασμα· ἤτοι εἶδος καμηλαυκίου ὃ καὶ τιάρα νοεῖται. Cfr. *Hesych.* s. v. ibique

Cyrill. Lex. MS. Brem. Κίδαρις. καμηλαύκιον. καὶ ἡ ἐπωμὶς, τουτέστιν τὸ ῥάκκος τὸ ἐπὶ τῶν ὠμῶν (l. ὤμων) τῶν ἱερέων τῶν ἐπισκόπων.

ܛܐܪܐ ܡܠܬܐ ܐܝܬܝܗ̇ ܦܪܣܝܬܐ ܐܠܐ ܐܦ ܣܘܪܝܝܐ ܡܫܬܡܫܝܢ ܒܗ̇ التخاريص من القميص

i. e. *Tiara* est id quidem vocabulum Persicum, sed etiam Syri hoc utuntur. *Assumenta indusii* ad vestis latera addita, ut amplior sit.

Etiam in hac glossa expositio Arabica cum laudatis explicationibus Graecis convenit. Etenim καμηλαύκιον genus quoddam indusii amplioris designare, videtur etiam hic locus, ἐνδύει αὐτὸν χιτῶνα καὶ καμιλαύχιον, ap. *Suicer.* thes. eccles. v. καμιλ., satis declarare. Tradita igitur nobis in his est genuina significatio vocabulorum τιάρα, τίαρις, quae sicut illud تخريص e Persico تيريز profecta sunt.

Hesych. v. Σουφείρ. χώρα, ἐν ᾗ οἱ πολύτιμιοι λίθοι καὶ ὁ χρυσὸς, ἐν Ἰνδίᾳ. Petita haec sunt ex interpretatione LXX. 1 reg. 10, 11, id quod πολυτίμιος, illud malae notae vocabulum, haud obscure prodit, cui varia lectio, quae servata nobis est in ed. *Complut.* λίθον τίμιον πολὺν, originem dedit. Sed, nisi omnia me fallunt, Σουφείρ corrupta forma pro Ὠφείρ est, uti in omnibus reliquis locis legendum. Nimirum ex recta voce Ὠφείρ (1) (ωφ.) primum Οὐφείρ evasit (gen. 10, 29). Ex Οὐφείρ autem COYΦEIP et CωΦEIP prodierunt, confusione litterarum CY et OY creberrima, de qua videsis *Pierson.* ad *Moerid. Lex.* ed. *Koch.* p. 335. Atque haec opinio mea nonnihil confirmatur loco *Theodotionis* Dan. 11, 10, ubi recte Cd. *Alex.* ὄχλον δυνάμεων (ΔYNAMEωN) πολλῶν, *Vatic.* autem depravatam ex δυνάμεων exhibet scripturam ὄχλον ἀναμέσον (ANAMECON) πολλῶν. Huc quoque referam illud CωMA ψ. 40, 7, ac secundum supra dicta id aeque ex ωTIA (vid. *Gesen.* thes. v. כָּרָה) natum statuam atque Cωφ. ex ωφ., nisi malueris *Lamb. Bosio* (Prolegom. ad ed. LXX) assentiri, Sigma ex praecedente verbo ἠθέλησας repetitum esse. (2) *Hitzigius* denique apte quidem illud Σαραμέλ, 1 Macc. 14, 28 per חרם אל explicat (3), cfr. v. 48 ἐν περιβόλῳ τῶν ἁγίων, et 2 paralip. 36, 8 γανοζαή (*Alex.* γανοζὰν - H et N confusis, ut Ναυν, Ναυη, vid. *Gesen.* lex. v. נוּן), petitum ex 2 reg. 21, 18. 26 גַּן־עֻזָּא; sed in eo, quod *Septuaginta in* Σωφ. Σουφ. pro אוֹפִיר *spiritum lenem per* Σ *reddidisse* opinatur, falsus est egregie. Singulare hoc esset exemplum, quod ab linguae Graecae genio plane abhorreret. Neque recte laudatur ab *Hitzigio* Σίρωμος, nam lectio sincera est Εἴρωμος (EIP. CIP.) cfr. vv. ll. *Herod.* VII, 98. nec magis est Σουρών scriptura genuina. — *Iosephus* autem suum Σωφιρά non aliunde quam ex Septuaginta depromsit, quae translatio vel antiqui, ut perhibetur, *verbi Coptici* fons exstitit; aut librarii ex corruptis LXX codicibus illam vocem corruptam in *Iosephum* intulerunt. (4)

ܐܘܦܝܪ ܐܠܐܪܨ ܐܠܬܝ ܝܣܡܝܗܐ ܐܠܗܢܕ ܠܗܐ ܡܥܕܢ ܘܡܥܕܢܗܐ ܠܗܢܕܐ بلاد سوان (سودان .leg) والمعدن

---

(1) Quo eodem modo exaratum est apud *Hieronym.* Opp. III, 285. coll. p. 64. 14. ed. *Vallars.*

(2) Cf. LXX. 1 reg. 9, 28 εἰς Σωφ. leg. εἰς Ὠφ.

(3) *Theolog. Studien und Kritiken,* ed. *Ullm.* et *Umbr.* 1840. fasc. II. p. 429 sqq.

(4) Nihil igitur in *Hesychii* auctoritate praesidii habet illud Σουφείρ. Caeterum iuvabit *Gesenium* contulisse in *thes.* v. אוֹפִיר et *Tuch.* ad gen. 10, 29.

i. e. *Auphir regio Indiae* ([1]) *est, ubi aurum purum invenitur et lapides pretiosi. — Regio Nigritarum et aurifodina. —*

Interpretatur deinde glossographus illud nomen *foecundatio* (a ܦܪܐ) et praeterea addit explicationem ineptam.

Proinde verba glossae *Hesychii* sic ordinanda essent, Ὠφ. χώρα ἐν Ἰνδίᾳ, ἐν ᾗ ὁ χρυσ. καὶ οἱ πολυτ. λίθοι. Neque aliter ea ab auctore collocata autumo. *Lexic. Origen.* (*Cyrilli*) Κάρμηλ. ἐπίγνωσις περιτομῆς. vid. *Albert.* ad *Hesych.* v. Κάρμηλος. ([2])

ܟܪܡܠܐ ܡܠܬܐ ܥܒܪܝܐ . ܗ̄ . ܡܪܕܘܬܐ ܕܓܙܘܪܬܐ علم الختانة

i. e. *Carmel, hebraica vox, significat peritiam circumcidendi.*

Glossographus nomen *montis Carmel* interpretabatur, quamquam pessime. Hinc autem apud glossographos Syriacos duplex verbi expositio, nempe *Carmelus mons*; item *peritia circumcidendi* (*Mich.* Lex. p. 435. *Adler.* Lex. MS.), etsi verba posteriora duntaxat etymologicam eamque futilem explicationem vocis *Carmel* continebant.

Nec minus fontem Graecum prodit illa perversa interpretatio glossae apud *Mich.* Lex. p. 1. *Apogr. Gotting.* ܐܐܕܘܢ ܡܦܩܠ ܦܐܛܝܪ البلبل i. e. ἀηδὼν graece: πατήρ — luscinia. Quae enarratio, opinor, ab Ἀβηδόνα. ἀηδόνα (ἀβ - ܐܒ) apud *Hesychium* repetenda est, ut *C. Valckenarii* iudicium (*Opusc.* I, 202) verissimum profecto habendum neque hic alienum sit: *Quidquid enim insulsum et inficetum excogitari potest, ab horum glossatorum ingenio non est alienum.*

Ex hisce igitur exemplis, quae facile possum augere, Syriacos glossographos auctores Graecos, maxime ut verba Graeca in glossaria Syriaca reciperent, ac sua glossaria ad Graeca componerent, ([3]) adhibuisse affatim

---

([1]) *B. A. Cd. Goth.* ܐܪܥܐ ܕܚܘܝܠܐ بلاد الهند cf. gen. 2, 11. *B. B.* ap. *Mich.* L. 282. *Nov.* ibid. scr. ܚܘܝܠܐ

([2]) *Hieronym.* Opp. III, 639. *Vallars.*

([3]) Apud *Ferrarium* (Nomencl. append. p. 820. *Mich.* Lex. p. 181) et in *Lexico Adleriano* laudatur novum atque inauditum illud verbum ܕܥܟܬ *defecit, aruit*; sed est tertia pers. fem. v. ܕܘܥܟ (ܕܥܟܬ) atque petitum e *Bar Alii* Codice quodam Vaticano, quod et innuit *Ferrarii* Isagog. „*Accessit ingens msptt. copia librorum, quos e Syria pridem comportatos non Maronitarum Collegium tantum, verum etiam Vaticana et Medicea bibliotheca suppeditarunt.*" Conferas iam integram B. A. glossam sicut in *Apograph. Gottingensi* exstat, abest enim a Cd. Goth. (l. ܡܢ) ܕܥܟܬ ܡܢ ܡܣܟܢܘܬ (l. سفلت) سالت سقلت *liquefacta est* (*contabuit*) *prae miseria* (cfr. ψ. 18, 19 S. H. in Pesch. ܡܟܝܟܘܬܝ) *mea.* — *Fluxit, humilis fuit.* — Sumta haec sunt e ψ. 88, 10. Nimirum glossographus substanti-

efficitur. Prae ceteris videntur *Cyrilli archiepiscopi Alexandrini* λεξικὸν κατὰ στοιχείων (1) contulisse, (ex quo non improbabile est *Lexicon MS. Bremense*, Κυρίλλου εἰς τὰς ἀπορουμένας λέξεις τῆς ἁγίας γραφῆς, excerptum esse,) unde pleraeque glossae in *Hesychium* transierunt. Contraria minusque probabilis opinio est *Tittmanni* ad *Zonar. Lex.* Prolegom. p. L. adnot.

Quibus praemissis ad ipsam disputationem aggrediamur

DE DIALECTORUM RELIQUIIS.

Syros perinde atque alias gentes, terram maiorem incolentes, plures dialectos habuisse, praesertim cum Syria in multas provincias esset divisa, harumque situs dialecticarum diversitatum ansam daret, et per se iam est probabile, nec Grammatici (2) diffitentur. Duo tantum testimonia, eaque recentiora habemus, *tres* omnino dialectos exstitisse, nempe *Gregorii Barhebraei*, quorum alterum exstat in *Histor. dyn.* p. 16 sq., alterum ab illo nihil fere diversum in *scholiis* ad *grammaticam* eius *metricam.* (3) Allata sunt eadem accurate atque ingeniose tractata in eximia *Ill. Stephani* QUATREMERII, de *Nabathaeis* scriptione, Diario Asiatico *Parisiensi* 1835. Jan. — Mart. (4) inserta, quae quidem dissertatio ferme tota secundum MSS. elaborata illius Diarii verum decus est.

Exponit autem *Barhebraeus* illas tres dialectos ita:

Lingua *Syriaca* discernitur in tres dialectos (لغات), quarum elegantissima est *Aramaea* (الارمايية), Edessenis, Harranensibus et Syriae exterioris

vum ܟܡܠܟ quo *verbum* spectat, omisit, quippe hoc tantum interpretaturus et Graecorum glossographos vel in eo sequutus. *Ferrarius* vero aliique eo decepti illud ܪܦܠ radicem ipsam ducebant. Male caeterum Syrus transtulit עניי miseria *mea.* Cfr. quae de radice דאב disputavit *Gesenius* in thesauro, et quae habet *Novar.* p. 397. coll. *Bernst.* chrest. Syr. p. 80. *Roediger.* chrest. Syr. p. 51 ܐܦܣܠ i. q. ضعف apud *Bohaddin.* vita Salad. ed. *Schult.* p. 172.

(1) Vid. *Bekker.* Anecd. Gr. III. p. 1094.

(2) *Hoffm.* gr. Syr. p. 3. 3).

(3) *Assem.* b. o. I, 476.

(4) Vide *Mart.* p. 214 sqq.

incolis propria; proxima illi est *Palaestinensis* (الفلسطينية), Damascenis, Libanum montem et reliquam Syriam interiorem incolentibus vernacula; impurissima omnium *Chaldaica Nabathaea* (الكلدانية النبطية) monticolis Assyriae et pagorum Iraci incolis usitata.

Censet *Hoffmannus* ([1]) aeque atque *Hassius*, ,,haec discrimina de *sola Syriaci sermonis pronuntiatione* in *diversis locis diversa* valere, cum exempla a *Barhebraeo* allata hanc solam respiciant''. At ex utroque *Gregorii* loco clare apparet, eum omnino de dialectorum diversitate, nec duntaxat de triplici pronuntiationis discrepantia ([2]) agere, illas igitur dialectos etiam diversis verbis inter se distinctas fuisse, id quod deinceps probabo. Spectant sane illa ab *Hassio* ([3]) e *Barhebraeo* allegata exempla ad pronuntiationem, sed cum supra laudato de dialectis loco nullo modo cohaerere videntur, uti secundum *Hassii* et *Hoffmanni* verba nonnemo crediderit; pertinent tantummodo illa ad puram atque impuram linguae Syriacae pronuntiationem, ([4]) et quod *Hoffmannus* subiicit, ,,ab Edessa urbe praecipuam linguae Syriacae *dialectum* nominatam esse ܡܡܠܠܐ ܐܘܪܗܝܐ *sermonem Edessenum*'', hoc ipsum ad puriorem *pronuntiationem Edessenam* ([5]) referendum est, nec ullo pacto ad *dialectum* Edessenorum, siquidem ܡܡܠܠܐ tantum *sermonem, eloquium, pronuntiandi rationem* declarat, et *dialectum* proprie significat ܠܫܢܐ *lingua, dialectus* (لغة), ut γλῶσσα i. q. διάλεκτος. ([6])

Inveniuntur autem in glossariis Syriacis, inprimis in *Codice Gothano* Bar Alii et in *Apographo Gottingensi* diversarum dialectorum Syriacarum indicia accuratiora atque, si quid video, antiquiora quam testimonia illa a *Barhebraeo* ex generali divisione et, quod dolendum, sine accuratis exemplis exhibita; ac nescio an *Barhebraei* dialectorum divisio modo ad aetatem ipsum proxime antecedentem spectet.

Primum *I. D. Michaelis* post *Castellum* harum glossarum dialecticarum nonnullas protulit ex *Apographo Gottingensi*, sed *non* recte *intellexit*, ([7])

---

(1) Cfr. gr. Syr. p. 14. annot. 3.
(2) Vid. *Hasse* Praktisch. Handb. p. 149. §. 41.
(3) Prakt. Hdb. p. 150.
(4) *Assem.* b. o. III. P. II. 279.
(5) *Hoffm.* g. S. p. 25. annot. 3. *Assem.* b. o. II, 407.
(6) Vid. *Greg. Cor.* de dial. p. 586. 906. *Schaef.*
(7) Cfr. *Mich.* Lex. p. 302.

tum Apographo illo saepenumero depravato inductus, ([1]) tum nimis festinans. Cuius festinationis exemplum luculentissimum invenitur, ut de multis aliis taceam, in Lexico p. 453. v. ܟܘܡܐ ubi recte sese habet *Arabica* vocabulorum ܠܛܐ ܟ̄ expositio. *Thom. a Novaria* enim, vel potius *Elias Nisibenus* tractat. IX. cap. XV. agit de *instrumentis fabri lignarii*, et p. 160. recte explicat glossam, *tabulae glacini, collae* i. e. *formae* glacini; nostratium igitur Leimtafeln, cfr. p. 445. v. ܠܛܐ, et p. 137. v. ܩܘܠܐ (ch. קוֹלָא, κόλλα). *Michaelis* vero nimis profecto festive haec ait significare *Alvahatam, Oasin inferiorem* (vid. Addend. p. 980) *Aegypti.* Credat Iudaeus Apella!

Iam dialecticas glossas in Codicibus dispersas cum inscriptionibus suis sic proponam, ut speciales dialecti generales excipiant, tumque singulas pro virili parte interpretabor.

([1]) Est vero hic opportunus locus errores corrigendi insignes, quibus corrupta est a *Michaeli Bar Alii* glossa ܟܠܗܩܬܐ Lexic. p. 461. Illud enim اخر = ܐܚܪܢܐ *alii* dicunt, *aliis* est etc. Glossographis illis tritissimum male bis contextui inseruit transferendo *altera-aliae*. Rescribenda praeterea sunt العبل (qua voce lexica Arabic. profecto carent!) in ابهل i. e. fructus iuniperi, cf. *Avic.* II. s. v. et حبة الخطر in حبة الخضرا i. e. bacca terebinthi, v. *Avic.* l. l. s. v. Iuvat insuper hic proponere glossam illam, sicut exstat in Cd. *Goth.* ܟܠܗܩܬܐ ܨ. ܐܦ̄ . ܟ̄ . الضرو او حب البطم الكبار او البندق i. e. לבטמא *cum vocali Sekofo super* ܟ̄ significat *fructum lentisci vel baccam terebinthi magnam vel nucem avellanam.* Vides igitur, primum illud apud *Mich.* vocabulum الكرو corruptum esse e recto الضرو (i. q. سرو?); huc etiam referenda sunt illa *Cd. Goth.* ܒܛܡܬܐ ܐܝܠܢܐ ܘܒܛܡܬܐ ܦܐܪܐ ܕܝܠܗ شجرة حبة الخضرا ويقال لثمرها البطم i. e. בֵּטְמְתָא (*Lex. Adler.* ܒܛܡܬܐ) significat *arborem* (*terebinthum*) *et* בֵּטְמָא *eius fructus.* — *Arbor terebinthus, cuius fructus vocantur* بطم *baccae terebinthi.* Confirmantur haec aeque testimonio *Ibn Sidae* apud *Demirium Libro Vitae Animalium*, cuius insignis libri in bibliotheca Regia Berolinensi asservantur duo Cdd. msptt., alter *Regius*, uno tomo constans, ab *Ill. Ehrenbergio* Kahirae emtus, signatus Nr. 163. fl.; alter *Diezianus*, duobus tomis, signatus *A.* Nr. 50. fl. — *Demiri* v. النسناس (*Cd. Diez.* II. fol. 206. *recto*) haec habet, قال ابن سيدة الضرو البطم وهو شجرة للحبة الخضرا كذا يسميه اهل اليمن Ille *Ibn Sida*, (*) a *Demirio* saepissime excitatus, haec certo referebat in *Lexico* المُحْكَم quod et initio vocis laudatur et ut notissimum, vel auctoris nomine omisso, adhibetur v. الشقراق ita الشقراق بفتح الشين وكسرها قاله في المحكم وابن قتيبة في ادب الكاتب

(*) De recta hac nominis scriptura vide quae *Puseyus Catalog. Cdd. Msptt. orient. bibl. Bodlej.* p. 180 sq. monuit contra *de Sacyum*, qui Chrest. I, 225. 239. ed alt. سيّدة exhibet et *Seyyida* pronuntiat; *Bochartus* contra in *Hieroz. Saida* scripsit.

DIALECTICA INDICIA (1) sunt haec:

.I. ܠܫܢܐ ܐܪܡܝܐ	.1. ܠܫܢܐ ܐܘܪܗܝܐ
.II. ܠܫܢܐ ܐܬܘܪܝܐ	.2. ܠܫܢܐ ܕܒܝܬ ܢܗܪ̈ܝܢ
.III. ܠܫܢܐ ܕܟܠܕ̈ܝܐ	.3. ܠܫܢܐ ܡܥܪ̈ܒܝܐ
	.4. *Dialectus Antiochena*

.I. ܠܫܢܐ ܐܪܡܝܐ

Primum quae in Glossariis Syriacis exstant interpretationes vocabulorum ܐܪܡ et ܐܪܡܝܐ afferamus, ut inde indicii dialectici, quod in apice posuimus, significationem veram eruamus.

Lex. Adler. اسم قرية (i. q. ܐܪܡ) ܐܘܪܡ *Orom, nomen oppidi.* سرياني ܐܳܪܳܡܳܝܳܐ *Aramaeus, Syrus.* حنفى ܐܰܪܡܳܝܳܐ *ethnicus.* Idem discrimen statuit glossographus in vocabulis ܐܳܪܳܡܳܐܺܝܬ *more Aramaeo, Syriaco,* et ܐܰܪܡܳܐܺܝܬ *ethnice* (cf. *Pesch.* Gal. 2, 14. ἐθνικῶς). Quibuscum explicationibus consentit et *Ferrarius* in Nomencl. p. 45. 46. et *Thom. a Novaria* in Thesaur. p. 369. Accedit, quod *Peschito* vocabulum Ἕλληνες, i. e. qui *Christi* praeceptis adversantur, *gentiles,* reddit Act. 19, 10. 17. Gal. 2, 3. per ܐܰܪ̈ܡܳܝܐ i. q. ܚܰܢ̈ܦܶܐ Ioh. 12, 20. i. e. הגוים. Hisce explicationibus paullo accuratior est *Amirae* expositio, qui in grammatica p. 109 sq. haec praecipit: ܐܳܪܳܡ *id est Syria, cum* ـָ *supra* ܐ, ܐܳܪܳܡܳܝܳܐ *id est Syrus; at vero ab* ܐܳܪܳܡ *quae est antiqua quaedam gentilium civitas* (vid. *Ferrar.* s. v.) *fit* ܐܰܪܡܳܝܳܐ *cum* ـַ *supra* ܐ, *et quiescente* ܪ.

Quae urbs *gentilium civitate* apud *Amiram* et *Ferrarium* designata sit, haud difficile explicatu est. Arbitror equidem illam *civitatem* حرّان, *Carras* (2) esse, sicut perspicua *Bar Bahluli* et *Bar Alii* testimonia (3) evincunt. Illa enim pervetusta urbs (4), cuius origines ad ipsum *Kainanum* referuntur a *Barhebraeo* chron. p. 8., propter cultum Sabaicum *gentilium civitas* ܡܕܝܢܬܐ

(1) Quae Ill. *Uhlemannus* in gramm. Syr. introd. p. XVI. affert *dialectorum indicia,* ea non repperi alibi commemorata, neque *Hassii de dialectis linguae Syriacae* dissertationem (Regiomont. 1787.), ex qua illa hausta videntur, ullo modo mihi parare potui.

(2) ܐܪܡ i. q. حرّن ut أرّان i. q. حرّان cfr. *Gesen.* thesaur. I, p. 2.

(3) Apud *Gesenium* in commentatione *de Bar Alio et Bar Bahl.* II, p. 7. Attigit idem iam *Gesen.* in thes. v. אֲרָם adnot. 2. et *Roedigerus* de interpret. Arab. p. 93.

(4) *Ammian.* XXIII, 3. *Carrae, antiquum oppidum.*

ܕܚܢ̈ܦܐ, Ἑλληνόπολις (i.q. ܡܕܝܢܬܐ ܕܐܪ̈ܡܝܐ) vocabatur (1), ܐܪܡܝܐ igitur est i.q. ܚܪܢܝܐ *Harranensis,* i.e. ܨܒܝܐ (صابى) *Sabaeus* (2) et illud ܐܪܡܝܐ in *Bar Bahluli* glossa mutandum profecto est in ܐܪܡܝܐ.

Accuratius et optime quidem prodit explicationem vocis illius *Bar Alii* glossa in *Codice Gothano* نباطى ܐܪܡܝܐ i.e. *Armoio* significat *Nabathaeum* (3), cui haud dubie verissimae vocabuli expositioni, etsi sententiam generaliorem quam modo propositae praebet, accedit et *Novariensis* auctoritas in Thesaur. p. 304. الانباط ܐܪܡܝܐ *Nabathaeae gens.*

Ex quibus diversis interpretationibus hoc effici posse existimo: *Aramaeis* principio commune nomen ܐܪܡܝܐ, altera (Chald.) pronuntiatione ܐܪܡܝܐ, fuisse (4). Quum autem vox prior, secundum ingeniosam probamque *Ill. Quatremerii* opinionem (5), Christiana religione ab Oromaeis recepta, aboleretur et ܣܘܪܝܝܐ *Syri* in eius locum sufficeretur, ipsi Syri nomen ܐܪܡܝܐ i.e. Nabathaei (Chaldaei), quum hi in gentilitate perseverassent, ad *gentiles* aeque ac *Nabathaeos* denotandos adhibebant. Quo modo significationes sibi, ut videtur, contrarias vocabuli ܐܪܡܝܐ *gentilis* et *Nabathaeus* recte conciliasse

---

(1) Vid. *Asseman.* biblioth. orient. I, p. 51. 201. III. P. II, p. 755. — De *Sabaeorum* cultu quae cognitione digna sunt ad hanc nostram rem, habes apud *Abulfed.* histor. anteisl. p. 148. ed. *Fleischer. Pocock.* Specim. hist. Arab. p. 142 sqq. ed. *White. Masudi.* in Notices et Extraits Tom. VIII. p. 177 sq. *Abulfarag.* hist. dyn. p. 281 sq. *Hadschi Khalf.* I, p. 65. ed. *Fluegel. Herbelot.* bib. or. s.v. *Sabi,* et praecipue apud *Hottinger.* histor. orient. p. 245 sqq. — Nec indignum quod legas testimonium est illud *fidei Sabaicae, Abul-Hasani Thabeti ben Korrae,* Harranensis, a *Barhebraeo* nobis servatum in chron. p. 176 sq. Cfr. et *Wuestenfeld.* Geschichte der Arabischen Ärzte und Naturforscher p. 34 sq.

(2) Masudi (Journ. Asiat. M. l. l. p. 260) vidit *Carris* in templo *Sabaeorum* inscriptionem litteris Syriacis, puta ܐܪܡܝܐ ܚܪ̈ܢܝܐ *Aramaeorum Harranensium lingua* insculptam.

(3) De grammatica vocabuli نباطى ratione conferas ea, quae docte exposuit amicissimus *Arnoldus* ad Amrilkaisi carm. quart. v. 37. p. 39. Caeterum in *Latinis* Cdd. teste *Heinrichio* ad Iuvenal. Sat. II, 126. *Nabathaeus* plerumque per *th* scriptum invenitur, etsi *Strabo* Ναβαταῖος exaravit.

(4) Eodem ducimur scholio illo apud *Pusey.* Catalog. p. 450 sq. in quo voces السرياني et الترغوم tanquam synonyma de ipsa lingua Syriaca iunguntur, iisque quae ibidem *Ephraemi Syri* et *Iacobi Sarugensis* auctoritate traduntur, ante linguarum confusionem unicam illam linguam primaevam, qua usi sint omnes, *Syriacam* fuisse, quam *Hebraei appellent linguam Targumi* (i.e. Chaldaicam). Cfr. et *Masudium* in Not. et Extr. T. VIII. p. 157. 180. et *Barhebraeum* in chron. p. 176. qui *Thabetum ben Korrae* Chronicon composuisse dicit ܡܟܪܝܬܐ ܕܗܘܝ ܠܡܠܟ̈ܐ ܣܘܪ̈ܝܝܐ ܕܩܕ̈ܡܝܐ regum *Syrorum antiquorum* i.e. *Chaldaeorum.*

(5) Vid. Journ. Asiat. Fevr. p. 122 sq.

mihi videor; itaque illa vox ut *nomen populi* non intercidit, nam valet ܐܪܡܝܐ primum *Harranensis, Nabathaeus,* tum *gentilis, paganus* (*Sabaeus*).

ܐܪܡܐܝܬ deinde apud *glossographos* significat *Nabathaice* (Chaldaea lingua i. q. אֲרָמִית); *lingua* vero *ecclesiastica* denotat *ratione, modo gentilium, paganorum* (ἐθνικῶς). Atqui ܐܪܡܝܐ et ܐܪܡܐܝܬ vocabula rarissime (in Vet. Test. tantum) a Syris, utpote *Christianis,* usurpantur, sed eorum loco fere semper ܚܢܦܐ et ܚܢܦܐܝܬ (¹).

Sed Syriacis et Arabicis auctoribus vetus illud rarumque vocabulum ܐܪܡ, ܐܪܡܝܐ non intelligentibus, multiplices in scriptis corruptiones ortae sunt. Confundebant enim *Syrorum* scriptores ܐܪܡ cum ܐܪܘܡ, quae quidem nominum permutatio solis librariis debetur, id quod *Ill.* Roedigerus praeclare animadvertit in commentatione *de origine et indole Arabicae libr. V. T. historic. interpretationis* p. 22 sq. adnot. 23., exquisitae doctrinae plenissima. Deinde obsoletum illud ܐܪܡܝܐ corruperunt in ܐܪܘܡܝܐ, uti supra in *Bar Bahluli* loco. Idem illud vocabulum eodem modo depravatum est in Pesch. Luc. 4, 27., ubi necessario rescribendum ܐܪܡܝܐ, ex nexu enim huius et praegressorum vv. et ex ipsius loci sententia liquet, τὸν Σύρον hic esse Syrum *paganum, gentilem* (²). Eadem corruptela occupavit locos quosdam apud *Asseman.* bibl. orient. I, p. 351, pro ܐܪܘܡܝܐ ܐܩܩ leg. ܐܪܡܝܐ ܐܩܩ Acacius *Assyrius;* p. 186. 354, leg. ܐܪܡܝܐ ܐܬܪ regio *Assyriorum,* et glossam ܐܪܡܝܐ ܚܙܘܪܐ (quo eodem modo in *Adler. Lexic.* alterum vocabulum scriptum est) *mala Assyria* (*Adler.* مشمش *malum Assyriac.*) in *Mich.* Lex. p. 288. scrib. ܐܪܡܝܐ.

Scriptores *Arabici,* a quibus *Aramaei* appellabantur ارمانيون, ارمانيان, ارمان, et *Aram* ارام, ex vocabulis illis vetustis procudebant *Armenii, Armenia*; cfr. *Roediger.* l. l. p. 23. 103. *Quatremer.* l. l. p. 118 sq. Huc quoque pertinet illa extrema glossematis pars apud *Roedigerum* l. l. p. 23. adnot. *nec vero Armenii sunt Aramaei, sed Syri,* quae quidem verba haud scio an sic emendanda sint: ܘܠܐ ܐܪܡܝܐ ܐܝܬܝܗܘܢ ܐܪܡܢܝܐ ܣܘܪܝܝܐ ܐܠܐ *nec vero Aramaei sunt Armenii, sed Syri*; eodemque modo *Castellus* permutavit ܐܪܡܝܐ ܟܬܒܐ cum ܐܪܡܢܝܐ ܟܬܒܐ, vide *Michaelis* Lex. p. 75. 211. 222. Tuto igitur praeeunte

---

(¹) Vere enim *Quatremerius* l. l. p. 123. ils se persuadèrent, ait, que, régénérés par un nouveau culte, ils devaient sous tous les rapports devenir un peuple nouveau et abjurer leur nom antique, qui semblait leur rappeler l'idolâtrie à laquelle le christianisme venait de les arracher.

(²) Vers. *Persic.* l. l. ارمایی quod *Aramaeum paganum* indigetare videtur.

L. of C.

Quatremerio l. l. corrigam locos apud *Abulfed. hist. anteisl.* ed. *Fleischer.* p. 36. l. 14. ملك الارمان et p. 40. l. 5. inf. بلاد الارمان. Arabum scriptores, praesertim seriores, quum nomen *Nabathaeorum* minus cognitum haberent, eadem ratione ex انباط, نبط *Nabathaei,* faciebant اقباط, قبط *Copti* (1), cuius permutationis insigne exemplum reperitur in *Aben Esrae* commentario (2) ad Exod. 2, 10. hocce שם משה מתורגם מלשון מצרים בלשון הקדש ושמו בלשון מצרים היה מוניוס וכך כתוב בספר עבודת האדמה הנעתק מלשון מצרים אל לשון קדרים גם ככה בספרי חכמי יון׃ ex quo apparet, illud לשון מצרים e corrupto لسان القبط ortum esse. Veram autem et genuinam lectionem fuisse لسان النبط *lingua Nabathaeorum, Nabathaea,* arguit illud ipsum commemoratum de *Agricultura opus* (ספר עבודת האדמה i. e. كتاب الفلاحة), quod transtulit e *Nabathaea lingua in Arabicam* לשון קדרים (3) *Ibn Wahschijja* (4), qui ipse origine *Chaldaeus.* Nec raro *Nabathaea* vocabula (5) *Graeca* habebant, e. c. in illa proverbiali locutione ab *Ill. Quatremerio* l. l. Mart. p. 224. e diversis lectionum monstris egregie restituta, *malum in saccis* (6), quae verba excubitor (بالرومية)

(1) Vide *Quatremerium* l. l. p. 102. 105. 108.

(2) Cfr. *Iablonski* Opuscul. I, p. 148 sq. ed. te Water.

(3) Male apud *Iablonskium* explicatur *sancta sive Hebraea.*

(4) De *Ibn Wahschijja* eiusque scriptis vide praeter ea, quae *Quatremerius* congessit l. l. Mart. p. 235-240, praecipue *Hamakerum* ad *Ibn Khacan.* ed. *Weyers.* p. 100 sq. et *Wuestenfeld.* Gesch. der Arab. Ärzte und Naturforscher, p. 38 sq. Quod attinet ad *Democritum*, cuius librum *de re rustica Ibn Wahschijja* e Graeca lingua in Arabicam transtulit, quodque laudatur a *Demirio* v. كلكسة, *Cod. Diez.* كتاب دوامقراطيس, *Cod. Reg.* male رومقراطيس mihi est suspicio, quamvis a *Diog. Laërtio vita Democriti* IX, 7, 13. huius liber περὶ γεωργίης memoretur, nomen eius cum *Damocratis* (cfr. *Herbelot.* bibl. orient. v. *Democratis*) confusum esse.

(5) Quae quidem in *Cdd. Arabicis* saepenumero corrupta inveniuntur, sicuti apud *Demirium* v. القسورة. قال ابن عبّاس فى القسورة هو بلسان العرب الاسد وبلسان الحبشة القسورة وبلسان فارس شير وبلسان النبط ارنا *dicit Ibn Abbas leonem appellari lingua Arabica* الاسد, *lingua Aethiopica* القسورة, *lingua Persica* شير, *et lingua Nabathaea* اريا i. e. אַרְיָא hoc enim reponendum est loco ارنا et eius, quod *Cd. Reg.* praebet زيا.

(6) Praetermisit *Freytagius Arabum Proverbia,* I, p. 428. Conferas מָוֶת בַּסִּיר 2 reg. 4, 40. et illud Romanorum vetustissimum adagium *Mors in olla,* quod allegatur a *Sallengrio Nov. Thes. Antiquit. Roman.* T. III, p. 726. cuiusque lepida historia apud *Plauti* scholiastam veterem haec est: „Quidam *Saturio* (de quo *Plaut.* in *Persa*) Parasitus noctu mortem in olla sedentem per somnium vidit; die vero cum in culina subdole ex olla lixatum gallum subripuisset, illumque vorasset, ex ossiculo, sibi in trachea infixo, periculum mortis iamiam imminere sentiens, ac de facto moriens, nil aliud exclamabat eiulando, quam *Mors in olla, Mors in olla,* omen mortis suae ex somnio deducens."

Graeca lingua pronuntiasse fertur, quum revera *Nabathaea* sint; item *Graecum* putabatur vocabulum كانون quod *Syrorum* ܟܢܘܢ est (1). Viceversa *Graeca* verba *Nabathaea* ducebant, ut illud قرنفلا (*le girofle*) apud *Quatrem.* l. l. p. 223. Graecum enim est καρυόφυλλον vocabulum.

Praecipua *Nabathaeorum* sedes erat *Mesopotamia* et *Chaldaea* (*Babylonia*) العراق, et quod attinet ad linguam eorum, eximium exstat testimonium, quod excitavit iam ex ipso Codice mspt. *libri Fehrest* (2) *Quatremerius* l. l. Mart. p. 213 sq., ab *Hadschi Khalfa* I. p. 71. ed. *Fluegel.* ex eodem libro excerptum, „*dialectum Nabathaeorum Syriaca politiorem fuisse* (افصح من السرياني), *illam autem Nabathaeam dialectum, quae in pagis audita sit, nihil nisi inelegantem* (غير فصيح) *Syriacam exstitisse.*" Alii, addit *Hadschi Khalfa,* linguam *in libris eleganter scriptis* usurpatam eandem fuisse dicunt, quam *incolae Syriae et Harran* loquuti sint. Eodem *Hadschi Khalfa* teste linguam *Syriacam* (i. e. *Nabathaeo-Chaldaeam*), qua utebantur *Chaldaei,* non prius mutarunt, quam *Persae* eos vicerant eorumque regnum sibi subiecerant. Hinc factum videtur, ut, *Ibn Mocaffa* (3) apud *Hadschi Khalfam* l. l. p. 69 sq. auctore, *Persicae linguae* dialectis etiam *Syriaca* adnumeraretur, usurpata illa ab incolis tractus *Sawad* in Chaldaea, ea potissimum, puto, de causa, quod in *litteris scribendis* dialectus quaedam peculiaris, *Syriaco-Persica,* frequentabatur.

Si igitur locos modo laudatos cum *Barhebraei Aramaeae* et *Nabathaeae dialecti* explicatione contuleris, testimonium huius de *elegantia Aramaeae dialecti* (الارمانية i. e. ܐܪܡܝܐ ܟܠܫܐ utpote *Harranensium*) et de *impuritate* dialecti *seriorum Nabathaeorum,* tractum *Sawad,* i. e. regionem quae *Basrae* et *Kufae* urbibus subiacet, incolentium, prorsus confirmari videbis.

Id tantummodo velim monitum, in scriptis interpretum Arabicorum, *Syrorum* اهل الشام et *Iracensium* اهل العراق i. e. *Nabathaeorum* (4) (*Chal-*

(1) Cfr. *Freytag. Arabum Proverbia.* I. p. 273.

(2) Cuius libri auctorem *Syriacis scriptoribus* usum esse, declarat ipsius *Theodori Syri* testimonium a *Quatrem.* l. l. M. p. 210. allatum.

(3) *Hadschi Khalf.* l. l. exhibet ابن المقنع, *Quatremerius* contra e *Codice ipso,* vid. l. l. p. 217. 255., proposuit ابن المقفع quam lectionem primo loco exarata praestantiorem existimo. Conferas praeterea quae de *Abdallah Ibn el-Mocaffa* exposuit *Wuestenfeld.* Gesch. der Arab. Ärzte u. Naturf. p. 11. N. 22.

(4) Cfr. *Iakuthum* in *Notices et Extraits* II. p. 446. qui haec refert: العراق *Eraque*: Contrée

daeorum) nomina sibi opponi, ut iam apud *Plinium* hist. nat. in plantarum descriptionibus *Syriam* et *Nabathaeam*, aeque atque in *Dioscoride et Galeno* et inde in *Arabum pharmacologicis libris* ([1]), non raro sibi oppositas legimus. Ad quam rem etiam haec *Abulwalidis* spectant verba, ab Ill. Gesenio in *thesauro* v. כֻּסֶּמֶת allata: ,,*Syri* speltam ܟܘܢܬܐ, *Iracenses* (*Nabath.*, *Chald.*) eam גּוּלְבָּא (جلبان) appellant." Verum enim vero iam *Moawiiae* aetate *dialectus Euphratensis* (فراتية) i.e. dialectus Euphraten accolentium populorum, *Iracensium* (لغة اهل العراق) *Arabicorum*, haud paucis vocabulis *Nabathaeis* commixta ([2]), et Arabicam linguam pronuntiandi quadam ratione ad *Nabathaeam* accedente Arabibus memorabilis fuisse videatur, quoniam ea minus emendata ([3]) perhibetur apud *de Sacyum* in *Antholog. gramm. Arab.* p. 117 sq. (267). In *Arabicis* saltem *Lexicis* inveniuntur vocabula indiciis hisce adscriptis: *idiomate Syro — apud Iracenses, vox Nabathaea*, quae partim vera *Arabica* partim *Nabathaea* censenda sunt; multa tamen vocabula non potest ad liquidum perduci utrius linguae fuerint, cum *sola* modo servata sint, et ad ea explicanda comparationes cum aliis linguis rarissime ([4]) tantum institui queant.

---

célèbre qui s'étend en longueur depuis Moussoul jusqu'à Abadan, et en largeur depuis Cadesie jusqu'à Houlvan. C'est une terre fertile et pleine d'eaux. *Ses habitans ont beaucoup d'industrie et sont fort adroits dans toutes sortes d'arts. Ils descendent de Nabath, méchant homme du temps de Salomon.* Quae nominis *Nabathaeorum* definitio, a *Nebatho* (נְבָט vid. 1 reg. 11, 26.) *Ierobeami* patre ducta, aeque falsa habenda est atque illa, quam e *Masudio* proposuit *Quatremer*. J. A. Fcvr. p. 113. Vid. autem *Gesen.* in *Lex.* v. נְבָיוֹת.

([1]) Cfr. *Abu Mansur* lib. *fundamentorum pharmacologiae*. ed. *R. Seligmann*. Vindobon. 1830. I, p. 27. v. اسارون et p. 71. v. خرنوب cum *B. A.* glossa in *Cd. Goth.* ܚܪܘܒܐ الخرنوب وهو صنفين الشامى والنبطى i.e. חרובא est *Ceratonia siliqua, cuius duae sunt species, altera Syriaca, altera Nabathaea.* Cfr. et *Analect. Medic. ex libris Mss.* ed. *Dietz.* p. 37. 56.

([2]) *Casiri* Catalog. bibl. Escorial. I, p. 31. affert illud برنسا (i.e. בַּרְנָשָׁא *fil. hominis, homo*) *Nabathaeum* vocabulum et recte Nabathaeam linguam *Chaldaeam* habet, in eo tantum falsus, opinor, quod *Chaldaeam linguam postmodum Arabicis dictionibus permistam* arbitratur. Subiungit dein: ,,*huic similia vocabula Nabathaea, quae in opere de Agricultura Ben Avami leguntur, exponere curavimus*"; sed hoc, quod equidem sciam, factum nusquam est.

([3]) Vid. *Journ. Asiat. Mars.* p. 218 sq.

([4]) *Vere Nabathaea vocabula e.c. haec sunt:*

أَلَّلْ vid. *Gesen.* thesaur. v. אלל; أَشْلٌ *funis*, cf. *Chald.* אַשְׁלָא, *Syr.* ܐܫܠܐ; حَرْزَقَ i.q. *Hebr.* חֲזַק, *Chald.* עֲזַק; دَقْلٌ (vid. *Frcyt.* Lex. Arab. v.) cf. *Chald.* (הַחַל) הַחַלָּא, *Syr.* ܕܩܠܐ; شَبُّوطٌ *Chald.*

Dicunt igitur glossographi nostri ܐܬܘܪܝܐ ܟܠܕܝܐ *Nabathaeam, quam vulgo falso vocant Chaldaeam* (¹), *dialectum.*

Sequantur iam singula quaeque *Nabathaeae dialecti* fragmenta, quotquot in glossariis MSS. reperire potui, et quidem ordine alphabetico, uti supra in indiciis dialecticis, servato. Primo autem loco e *Bar Alii* Codicibus petitas proponam glossas, quia hae indicia dialectica continent, *Bar Bahlulus* contra ea saepius omittit.

Bar Ali. Apograph. Gotting.

ܐܫܦܙܐ: ܟܠܕܝܐ ܐܬܘܪܝܐ: ܘܐܦ ܐܫܦܙܩܝܐ ܘܐܫܦܙܩܝܐ ܗܘ ܪܒ ܗܘ ܗ̄ ܕܒܝܬܐ ܘܐܪܚܐ (leg. ܕܒܝܬܐ)

i. e. אשפזא *vocabulum Nabathaeum est; idem significant* אשפזקיא *et* אשפזכיא. i. e. *praefectus domus et viator, (hospes).*

ربّ البيت الوكيل وهي لفظة مشتقة من لسان النبطى والفارسى ويقال الضيف

Dominus domus, procurator; et id quidem vocabulum sumptum est e lingua Nabathaea vel Persica et sic vocatur hospes.

שְׁבוּטָא *Syr.* ܫܰܒܽܘܛܳܐ *Novar.* p. 241. *Freyt.* s. v. ab *Euphrate* enim Halebum deportari solet. Cfr. *Iakuth. in Not. et Extr.* II, 454. v. كسكر. صيبق, زيبق *Chald.* זִיק *Syr.* ܙܺܝܩܳܐ cfr. *Mich.* Lex. 253. كَرَخَ *fodit* pecul. *aquam, Chald.* כְּרָה, כְּרָא, vid. *Quatrem.* l. l. M. 225. نَطَرَ *Chald.* נְטַר, نَوَاطِيرُ (vid. *Tebrisi* ap. *Quatrem.* l. l. p. 226.) *custodes vinearum, qui eas defendant,* cfr. נֹטְרִים Cant. 8, 11. 12. مِجْدَلٌ *palatium, arx,* (vid. *Freyt.* praef. ad *Lex. Arab.* p. XI.) *Chald.* מִגְדְּלָא, מִגְדַּל *Hebr.* מִגְדָּל

(¹) *Michaelis* in Lex. p. 475. coll. p. 675. illud ܐܬܘܪܝܐ ܟܠܕܝܐ interpretatur *in dialecto Assyriorum, seu Orientalium Syrorum,* quod non falso quidem indicium illud designat, sed videtur mihi in mente habuisse ܐܳܬܽܘܪܳܝܳܐ *Assyrius,* aut omnino non satis percepisse, quid significet ܐܬܘܪܝܐ ܟܠܕܝܐ. Caeterum non ausim diiudicare, quale indicium dialecticum *Castellus Heptagl.* col. 3297. (*Mich.* Lex. p. 783.) v. ܩܦܝܐ (cfr. قفى *cibus quo honoratur hospes* = قفية, كفية) indicarit *Linguâ Assyriacâ,* cum ipsa glossa, auctore Ill. *Bernstenio,* in *Bar Bahluli* Codicibus non compareat, ac me omnino fugiat, unde *Castellus* illam vocem attulerit. Quae idem affert e B. B. in *Heptagl.* col. 474. v. ܓܒܠܥܐ, (apud *Mich.* Lex. p. 131. typothetae vitiis sunt contaminata: ܓܒܠܥܬܐ et نجور leg. ܓܒܠ et نجور) *Assyrii* etc., iisdem verbis etiam leguntur apud *B. B.* ܓܒܠܥܐ اسم ܨܒ العرطنيثا ܨܒܬ; ܐܬܘܪ ܡܛܠ ܠܗ ܓܒܠܥܐ ܘܡܒܠܥܐ i. e. גבלעא *significat secundum magistrum* (i. e. *Honainum*)

Bar Bahlul. Cod. Bodlej. Huntingdonian. Nr. 157.

ܐܫܦܝܙܟܢܐ الضيف زاد المروزى ربّ البيت وهى لفظة مسترقة من السريانى
والفارسى ܐܫܦܝܙܟܢܗ ربّ بيته . ܐܫܦܝܙܟܘܬܐ (ܐܫܦܝܙܟܘܬܐ (*Cod. Marsh.* Nr. 198.
الضيافة . ܐܫܦܝܙ ܟܢܫܐ ܐܘܫܦܐ البيت :

i. e. אשפיזכיא *significat hospitem; addit Marvazita: dominus domus. Vox illa petita est e Syriaca vel Persica lingua.* אשפיזכיה (cum suffix.) *est: herus eius.* אשפיזכותא denotat *hospitalitatem.*

